

Ya  
166

Q. N. 1  
C

C

Et



105. 201.  
Q. N. 122, 38.

PROTEUS

π, 561.

*Clericô-Altenburgicus :*

HOC EST:

*Nomina*

CONFRATRUM

PASTORALIUM

in Diœcesi Altenburgensi,

*Succinctis Anagrammatismis*

*involuta ;*

*Æqvabili Epigrammatum*

*τρισίχων dimensione*

*evoluta ;*

Et ad *Eosdem, Synodum Anni*

M DC XLVI. celebrantes, in

*εὐνοίας καὶ φιλαδελφίας*

*τεκμήριον*

*devoluta*

à

*M. Michaële Crelliô, Eccle-*

*siaſte Altenburgensi.*

Altenburgi,

M DC XLVI.

no. 56.





MINISTERIUM ALTENBURGENSE.

MARTINUS CASELIUS,

(SS. Th. D. Superintendens Saxo-Altenburgi-  
cus Generalis, Concionator Aulicus  
& Consistorii Assessor.)

Dodecade Anagrammatum ex pluribus  
selectorum effigiatus.

I. CLARISSIMUS NAVET!

II. LAUTISSIMUS CRENA.

III. CULTISSIMUS EN! ARA.

IV. ARCTISSIMUS LUNÆ.

V. ALTISSIMUS EN! CURA.

VI. LATISSIMUS CUR? NÆ.

VII. CARISSIMUS: VALENT.

VIII. RECTISSIMUS: A ULNA.

IX. CERTISSIMUS: A LUNA.

X. VERISSIMUS: LAC NAT.

XI. LENISSIMUS: AT CURA.

XII. LECTISSIMUS: A UENA.



No-

**N**omine Caselius Præsul Clarissimus audit  
Magnô: Operam Templis navet is euge!  
diu.

Nomine Caselius Præsul Lautissimus audit  
Selectô: Crenâ lautus & ore placet.

Nomine Caselius Præsul Cultissimus audit  
Doctô: Culturam en! Ingenii ara probat.

Nomine Caselius Constanti Arētissimus audit  
Præsul: Lunæ almâ Mysticæ adheret ope.

Nomine Caselius sublimi Altissimus audit  
Præsul: Sublimem en! provida cura facit.

Nomine Caselius præsul Latissimus audit:  
Cur? Superintendens næ! Generalis ovat.

Nomine Caselius Præsul Carissimus audit  
Dignô: Ejus multum dogmata sacra valent.

Nomine Caselius Præsul Rectissimus audit  
Firmô: à Verbi ulnâ dogmate nullus abit.

Nomine Caselius Præsul Certissimus audit  
Sincerô: à Lunâ ducitur ecce! piâ.

Nomine Caselius Præsul Verissimus audit  
Indubiô: Veri lac nat ab ore meri.

Nomine Caselius Præsul Lenissimus audit  
Mansvetô: At curâ scit simul esse gravis.

Nomine Caselius Præsul Lectissimus audit  
Svavi: à Mortæ urnâ sit procul ille diu!

A 2

M. JA-

(M.) JACOBUS FREISLEBENUS.

(Archi-Diac. & Consist. Assess.)

FERVES ICONE BIS ALBUS.

**Q**uæ pictura Tui est? Albus bis in icone  
ferves;

*Candoris duplici fervidus igne cales.*

*Presbyter officium duplex fideissimus urges:*

*Presbyter es duplici dignus honore coli.*

*Freislebi, duplices vitæ, opto, tempora: Mundo*

*In duplici duplex Te comitetur honos!*

---

(M.) JOSEPHUS CLAUDERUS.

(Diac. Altenb.)

COHÆRES DIUS PULSU.

**E**sse Cohæredes nos Christi, maxima Sors est:  
Hæredes Christus nos facit esse Dei. (res

Symbolon inde tuū est: quàm glorior esse Cohæ-

Christi; hæres ô quàm glorior esse DEI!

Es Dius diô pulsu Christi ecce! Cohæres:

Spiritui hoc dicit Spiritus Ipse tuo.

---

(M.) MIC(H)AEL CRELLIUS.

(Aut. M. Ern. Wunschaldô.)

MILLE LUCRA CIES.

**Q**uàm lucrativum Tibi, Crelli, Jhova Ta-  
lentum

Credidit! Hôc Ipsi mille lucella cies.

Lu-

Lucrare (haud terris abscondita, ) Serve fidelis : 4.  
Fac lucra mille Homini, fac lucra mille  
Sic vox leta tuas olim circūsonet aures: (DEO.  
Gaudia Cœlorum Serve fidelis inī.

---

SALOMON EICHLERUS.

(Diac. Aul. Altenb.)

AC SIMELLEUS HONOR.


**D**ivitias alius studio conquirat hianse  
Dementet multos ambitiosus honos.

Delicias alii carnis sectentur inanes,

Perq̄, omnem vitam mellea fata probent.

Plus Cœli afficient me gaudia, melleus ac sū

Omnia me foveat castra per arbi honor.



ADJUNCTURA SMOLLENSIS.

M. CHRISTOPHORUS CESTNERUS.

(Past. & Adj. Smöllensis.)

CHRISTILIS HONORES: SPECTRUM.

**H**oc alii, illud ament alii: mihi Christus amo-  
Fervesco Christi totus amore mei. (cur:

Hic, illic solus dat veros Christus honores,

Spectrum quos Satana præripuisse nequit.

Christjano evanidum est Satanas tantummodo

Spectrum:

Christjano mors est larva, vaga umbra, nihil.

A 3

JO-

JO(H)ANNES ROSENTHALIUS.

(Archidiac. Smöllensis.)

EN! INSTANS ORE HALO.

**Q**ui variis toties visus decumbere morbis,  
Inq; ipsò mortis limine sæpe fui.

En! instans precibus fidò ore & pectore fusis  
Halo vivus adhuc in statione meâ.

Rosenthal, agnos decuit saturare tenellos  
Quondam: mutato munere pascis oves.

---

JACOBUS GRELLER.

(Diaconus Smöllensis.)

CALOR LEGIS RUBE.

**A**rdes divinæ Legis, Grellere, calore:  
Ardeat ut Legis Turba calore, mones.

Ardens in Domini sacratâ Lege nitebis

Trans astra, ut cœlum Sole rubente rubeet.

Posthâc, qui Zelò Legis calor es, magis arde;

Ut rubeat Tecum credula Turba, rube.

---

JOHANNES BEER.

(Past. in Weisbach.)

EN! HABES IN ORE.

**E**cce! impono tuis mea dogmata sancta labellis:  
Hilkiadæ fatur voce sonante DEUS.

Im~



Imposuit quoque Jhova tuis sua verba tabellis:  
En! quoque habes summi dogmata in ore Dei.  
Tu, quod habes verbum Jhovæ, ore docebis a-  
lacri:

Ne noceant homines, Te fovet ipse DELLS!

---

JOHANNES BIEDERMANNUS.

(Past. in Zhanhausen.)

AH! IN MUNDO BENE SANERIS.

**N**omine morborum Scriptura involvit, in orbe  
Quæcumque Evigenis esse molesta queunt.  
At Medicus DELLS est, à quo Tibi Nominis omen,  
Ut bene saneris corpore, corde, vovet.  
In Mundo agrotos verbo, pro munere, sana:  
Culmina trans Cæli cum Grege sanus eris.

---

PETRUS CLUGE.

(Past. in Nöbdenk.)

PULCER GESTU.

**Q**ui nitet externò gestu, non pulcer habetur  
Perfekte, gestu aut interiore nitens.  
Talis ades Clugi, pulchrum Te gestus honestat  
Ille animi; Ingeniò candidiore nitens.  
Qui candore meres Turbæ placuisse Piorum,  
Cælicolum poteris complacuisse Choro.

---

MARTINUS LAURENTIUS.

(Pastor in Lohma.)

A 4

TU

TUNE LAURUM IN ASTRIS?

**P**lurimi in hōc Mundō q̄erunt magnō impe-  
te Laurum:

Turbāq; mundanas plurima q̄erit opes.  
Quid Tibi, Laurenti, mentis? Tune unius in A-  
Expectas Laurum, prēmia larga, tuā? (Astris.  
Rectē: Quæ Mundo non obvia Laurus, in Astris  
Carpitur: intersca discito velle pati.

---

MIC(H)AEL HEINRICUS.

(Pastor & Adj. in Stecharo.)

HEM! CIRCINIS LEVA: (VELA.)

**H**em! Verbum rectē nōsti distingvere, justē  
Librando cuncta circinis.

Affectatā alij quæ velant arte, re-vela:

Leva quod illi supprimunt.

Scire tuum multis sic praderit; ordine rectō

Sic Circinum direxeris.

---

MICHAEL VIETOR. (Pöttiger.)

(Past. in Reichstet.)

HUC I: TE MELIORA.

**I**llac rectā ibis, quorsum te misero: Vatem

Nolentem ire DELLS talibus alloquitur.

Huc i: Vox Jhovæ fuit hac divina vocantis:

Munia tu præstas obsequiosa lubens.

Nec frustra: Ex votō quamvis non omnia cedant,

Te meliora tamen, credito, in axe manent.

GE-

GEORGIUS RODERVS.

(Past. in Pelsig.)

VERUS ODOR GREGIS.

**V**erus odor gregis es, pro Nominis omine,  
Mysta;

Verus odor gregis es munere, Mysta, tuò.  
Divini Mystes Verbi quos spargis odores,  
Sint toti svaves salvificiq<sub>3</sub> Gregi.

Verus odor gregis es: Tibi Grex adspiret odo-  
Sospes odore cale Tu Gregis, ille tuò! (res!)

---

ANDREAS ALBERTI.

(Past. in Harten. Roda.)

AN LIBER? AT ARDES?

**A**urea libertas res, vulgi dicitur ore:  
Alterius non sit qui suus esse potest.

Liber an, Alberte, es? Liber sum dicis: At ardes?  
Ardes servitiò liberiore DEI.

Quò mage quis servit Jhove, mage liber habe-  
Servire ardescens, liber ubiq<sub>3</sub>, DEO. (tur.)

---

MARTINUS REICHARDUS.

(Past. in Wildenpörtchen.)

HELLS! CHRISTUM NARRAS.

**N**avita de ventis, de tauris narrat arator:  
De Christi narrat munere præco DEI.

Nil præter Christum crucifixum nôsse volebat  
Paulus Apostolici gloria magna Chori:

A S

Rei-

Reicharde, heus! Christū narres qvōq; Mysta  
Ex Christi pendet munere vera salus. (fidelis:

---


MAGNVS SC(H)MALCIVS.

(pastor in Alt-Kirchen.)

SIGNUM SUCCLAMAS.

**V**ox ego sum clamās, dicit Baptista Johannes:  
Signum succlamans Nomine, Magne,  
tuō es.

*sursum!* succlamas voce Auditoribus altā:  
Pro populō acclamas voce gemente Deum.  
*affectus* madeas clamans pingvedine: cernes  
Obsequii, Auxilii Signa cupita boni.



ADJUNCTURA LUCCAVIENSIS.

M. GODFRIDUS SC(H)AMMELIUS.

(Pastor in Drobitz.)

FIDUS MILES SURGAM: DOCE.

**Q**ualem sis Mystā, Schammell, Mysta nouvelle  
Acturus, monstrat ne! Metagrāma satis.  
Surgam, inquis, miles fidus: qvō nomine  
Paulus

Describit Mysta munia vera boni.

Sis fidus miles, pugnes in stesq; docendo:

Accipies miles digna bravēa: doce.

CHRI-

CHRISTOPHORUS MICHAELIS.

(Pastor in Windisch-Scuba.)

HIC SIT CHORUS HERO: PALMIS,

**H**ic fidus servus Christi est, non-deside curâ  
Commissum efficiens sedulus officium.

Ut Sit Hero Chorus, Hic Vigil excubat, Astrio  
potenti :

Munia per Verbi congregat Hicce Gregem.  
Cum Grege splendescet quô Pastor honore? vi-  
rentes

In palmis palmas stabit uterq; tenens.

---

JO(H)ANNES COLERUS.

(Pastor Trebensis.)

ES NUCLEOS IN ORA.

**M**ilindanâ, Cölere, nuces confringis in orâ,  
Cogeris & duri ferre laboris onus.

Cælesti nucleos demum es (modò perfer,) in  
Proq; labore tuô præmia grata feres. (orâ.

Sic est conclusum: sic enthea pagina dicit:

Mysta omni Tecum sperat & optat idem.

---

JOACHIMUS SIDELIUS.

(Diac. Trebensis.)

JO! HIC SUDA, SI MELIUS.

**V**irtutem posuere DII sudore parandam:

Ethnica sic sapuit pro ratione cohors.

A 6

Cl-

Clarius è sacro thesis isthac Codice constat:

In sudore cibum sumere JHOVA jubet.

Jo! suda hic: sudans cures Templūq; Domūq;  
illo si melius vivere in orbe cupis.

---

(M.) JACOBUS CLAUDER.

(Pastor & Adj. in Lucca.)

O! DURABIS LUCCÆ.

Lucca sibi Mystam Te poscit, clare Magister:  
Omine res certe non caret ista suo.

Dignō prosequitur votō Te Nominis Omen;

Luccæ o! durabis: Nominis omen habet.

Consimili votō Mystam Te macto novellum:

O! Luccæ dures Corpore, Mente, Bonis.

---

MATTHÆUS VVINCLERUS.

(Diac. in Lucca.)

EST HUMANUS: VIR LUCCÆ.

Humanus genere es veluti, Winclere: decoris  
Te sic humanum moribus esse decet.

Humanē, ut fas est, homines si vixeris inter,

Cuncta levis fiet lucta ferenda tibi. (mnes?)

Vir Luctæ es: Luctæ species quis noverit o-

Luctā omnem humanus vincito, victor eris!

---

M. JO(H)ANNES REIN(H)OLDUS.

(Pastor in Breiten-Hann.)

SINE DOLORE IN MANUS,

Sor-

**S**ortis post tantos, sævi Martisq; dolores,  
Lætificos tribuas, Jhova benigne, dies:  
Absq; dolore fluant restantia tempora vite:  
Olim concedas absq; dolore mori!

In fidas commendo manus Corpusq; Animamq;  
Fac sine obire gravi sata dolore queam!

---

(M.) CHRISTOPHORUS HEMPELIUS.

(Pastor in Meuselwitz.)

HEUS! IMPLES PORTUS CHORI.

**B**uccina ceu, voces extollere præco jubetur,  
Nunciet ut populo crimina sæda malo.

Hempell, extollis vocem quoq; Mysta docendo,  
At portus imples voce sonante Chori.

Heus! insta: vocem pergas extollere, portum  
Intres ut superi, cum Grege Mysta, Chori.

---

(M.) JOHANNES FORBERGERUS.

(Pastor in Eribirsch.)

GENERABIS: FER HONORUS,

FER GENUS: HONORABERIS.

**R**ustica Gens stupidū genus est plerumq;: fer  
Pectore mās vetō, Paulus ut ipse jubet. (illud.

Mysta-Pater Verbi generabis semine multam

Prolē: Fer sanctā hoc Patris honorus onus.

Quod Te pressat onus Mystam, pensatur honore:

Castra per Orbis honoraberis, inq; Polō.

MICHAEL REISGERUS.

(Pastor in Rositz.)

CHARUS MILES ERIGE.

**S**unt hodie exosi cunctis, qui castra sequuntur,  
Namq; hominū ledunt pectora mille modis.  
Commisso es charus miles, Reigere, popello:  
Erigi afflictum voce levante Gregem.  
Militiam exercens sacrae Verbō erige Mentis,  
Accipies miles larga brabea Sacer.

---

SAMUEL VVINCLERIUS.

(Pastor in Tyschernisch.)

CLAVIUM SERVUS LENI.

**Q**uale geras munus monstrat Metagramma:  
Es atq; Servus Clavium. (Minister  
Clave ligante liga fera pectora; saucia leni  
Solvente Clave pectora.  
Sic caelos Auditorum Turbaeq; Tibiq;  
Hervus Recludet Clavium.

---

JO(H)ANNES EBERHARDI.

(Pastor in Maselaf.)

ANNE IBO DEI HÆRES?

**A**nne Deus quorsū me mittet promptior ibo?  
Sic juxta Nomen quærere, Ebharde, potes.  
Consilium formas, ex omine Nominis: Ibo:  
Ibo libensq; mei Jussa Dei expediam.

En!





TU TER PIUS ORE.

**T** Er pius esse tuô pro Nomine, Petre, juberis:  
In dictis, factis, sensibus esto pius.

Sis juxta Nomen pius ore ter: ore Parentem,  
Gnatum, Spiramen confiteare DEUM.

Munera terna Tibi, Tibi bis tria, ter tria cedant:  
Te regat una-Trias, Te quoq; Trina-Monas!

---

CASPARUS FORTZSCHIIUS.

(Past. in Wolperndorff.)

CRUS ZOPISSA FARCTUS.

**L** Abitur uncta vadis abies: Zopissa volantem  
Constringit navim, ne petat ima vadi.

Qui cupit optatô metam contingere cursu,  
Stet rectô talô, cruraq; firma gerat.

Stas crus Zopissâ farctus, pro Nomine: Nun-  
pes tuus à Cœli tramite motus eat! (quam

---

CHRISTIANUS LEHEMANNUS.

(Past. in Nieder-Wiera.)

CHARUSN' ET LENIS ANIMUS?

**O** mnia qui præceps furibundô perficit æstu,  
Cœtorum in sese terra odia ille movet.

At animum gestat qui lenem, charus habetur  
Omniibus; huic passim conciliatur amor.

Erga omnes esto lenis: quin corrige leni  
Errantes animo; charior inde manes.

CON-

CONRADUS WECCER.

16.

(Pastor in Suchs-Hayn.)

CRUCE DURANS VOCE.

**Q**uâ ratione crucis valeant superare dolores,  
Tentârunt homines quærerere mille modos.  
Optima sed dura Crucis est patientia victrix,  
Quæ simul ardentem mittit ad astra preces.  
In Cruce qui durans inclamat voce Jehovaham,  
Scit, weccere, truces ille fugare cruces.

---

JOHANNES TITTELIUS.

(Diac. in Ober-Grusdorff.)

HA! SENIS NITE TITULO.

**Q**ui creperos titulos & jactat & accipit, errat:  
Est virtus titulis abstinnisse vagis.  
Hæc plures titulos, vitulos quàm protulit ætas:  
Ha! Senii titulô qui nitet, ille nitet.  
Quò titulô possis olim senis ipse nitere,  
Pastoris titulô perge nitere boni.

---

ANDREAS FABER.

(Pastor in Sieba.)

ARANS FER: ABDE.

**N**on Faber ipse quidem tractas fabrilia: mu-  
nus

Fabrili tamen est durius ecce! tuum.

Le-

*Legalem in reprobos repetitis ictibus urges  
Malleum & agricolæ munia dura subis.  
Rura colonus arans Jhova fer dura, popelli  
Abde in Cor Verbi semina: Messor eris!*

---

(M) HEINRICVS JULIVS BRAGERVS.

(Pastor in Ponic.)

HA! BENE SURGIS CURIS RIVILLI.

**R**ivi Poniceï Piscator Mysticus audis,

*In quem rete vigil spirituale jactis.*

Rivuli agens curas curis benè surgis, ad alta

*Pisces è cœnô criminis astra trahis.*

Rivulus ille tuo semper sit pervius hamo:

*Felix Piscator fata benigna feras!*

---

(M.) JO(H)ANNES CHRISTIANI.

(Past. & Adj. in Gōßnis.)

INSTAR JONÆ: CINIS.

**P**atrizas Zelô ferves, Christjane, decente,  
*Quali olim Vatum prædita turba fuit.*

Nominis insigni clares Anagrammate Jonas:

*Jonæ instar populum pœnituisse jubes.*

Pacifer effectus, Jhovâ miserente, sequetur,

*Si cinis & saccus pectora versa regant.*

JO-



Magnū isthic præstat Zelus tuus intimus usum:  
Nempe ut pœniteant, conscia corda ferit.  
Ardeat intimiùs Zelus, velut hætenus arsit:  
Præmia digna Solò sint ita, digna Polò!

---

M. MICHAEL VVOLFRUMIVS,  
(Pastor & Adj. in Monstab.)

HUC FLOS MEL VIVUM MIRA.

**H**uc, wolfrum!, adsis, porrectâ percipe mète,  
Te quali elogiò Nominis omen agat?  
Es flos mel vivum mira Virtute Docendi  
Destillans: promis mellea verba Dei.  
Afflictos recrees resipiscentesq; per illa:  
Florescens vivò melle madesce diu!

---

GEORGIUS ADELMANNVS,

(Diaconus in Monstab.)

DANS GREGI LUMEN OVAS.

**N**aturâ in mentis tenebrosa erroribus hærent  
Mortales, cæca factaq; noctis agunt.  
His clarâ præeant Pastores lampade Verbi,  
Grex premat ut rectò calle salutis iter.  
Adelmannè gregi commisso lampada præfer:  
Cæli, dans Verbi lumina, lumine ovas.

---

M. LEON(H)ARTVS SCHNEIERVS,

(Past. & Adj. in Teckwiz.)

A CHRI-

A CHRISTO LUMEN SERENUS.

**I**nter tot casus, inter tot dura, serenet  
Quid frontem, quarum, cor releuetq, meum?  
Hoc praestat Christus, mihi Christus amabile  
Lumen:

Hoc Duce quid noceat Sors fera, Morsve mihi?  
A Christo lumen venit; Ejus Luce serenus  
Vivo in Valle Soli; Vixero in Arce Poli.

(M.) ANDREAS BRENDELIVS.

(Pastor in Gödern.)

1. IN ARDE LUBENS: ARDES.

2. LIBERA NARDUS: ENDES.

3. ARDENS RENIBUS DAMEL. (adscitō M.)

**N**omē amore lubens Jhova deposcit, in arde:  
Ardes, Brendell, totus amore Dei.

Pulchrè ornas Spartam: En des libera Nardus  
odorem;

Nardus odora Deo, Nardus odora Gregi.  
Pectore fervefcens devotō, renibus ardens  
Da mel, post Legis fulmina, dulce Gregi.

(M.) JEREMIAS RICHTERUS,

(Past. in Mehna.)

HIC IRATUS MISERERE.

**J**eremias velut, Hic docet altâ voce, Jhova  
Placari iratus quâ ratione queat.

Pa-

*Pœniteat vitæ, monet, actæ ut turpiter omnes:  
Queratur precibus gratia larga Dei.  
In Miseratorem sic Jhova iratus abibit:  
Per miserere mei tollitur ira Dei.*

---

**GOTFRIEDUS ZORNIUS.**  
*(Pastor in Dobirſchen emeritus.)*

**E ZONIS FRIGUS TRUDO.**

**T**E Senium è calidis in Zonas, Mysta verende,  
Detrusis ecce! frigidas.

*Sed Mystes friges minus: è Zonis, ais, omne  
Ex-trudo frigus frigidis.*

*Scis quòd post hiemem Seniiq; Cruciq; Neciq;  
Seqvatur Æstas cœlica.*

---

**GEORGIUS RESSIG.**  
*(Pastor in Lumphig emeritus.)*

**OS GREGIS VERGIS.**

**O**s Gregis ore piò docuisti dogmata Jhova  
Commissum Senior-Mysta verende Gregè.

*Os gregis at Senior nunc vergis, Teq; Jhova  
Emeritos inter fecit habere locum.*

*Sed licet in Senium vergas, mortiq; tenébras,  
Inde redux psalles semper in Axe DEO.*

---

**DAVID RESSIG.**  
*(Pastor Substitutus in Lumphig.)*

**DIIS**



DIIS ADSURGE.

**V**ergente in Senium, totidem post lustra, Pa-  
rente,

David, Symmystes - Adjuva surgis Ei.

Diis adsurge, (unum si fas sic dicere Jhovam,)

Proq; Dei expedias munus honore sacrum.

Adsurget summi Tibi gratia dia Jhovæ

Incipienda solò, continuanda Pold.

---

(M.) P(H)ILIPPUS TSEISOLDUS.

(Past. in Bôlnis.)

SI DE PUPPI SUSTOLLIS.

**I**N Domini esse queas quei fidus Navita puppi,

Nominis ipsummet Te Metagramma docet.

Sustollis si de puppi culpabile Cœnum:

Atq; Gregem hortaris pœnituisse tuum.

Enthea sic pellent ad portum Carbasa Navem:

Sic pura in purò flumine puppis eat!

---

M. CASPARVS CRUGELSTEINIVS.

(Pastor in Cosma.)

IS VULT: CURAM GERENS PASCIS.

**Q**uod vult Jhova facis, Senior Venerande;  
Voluntas

Sed qualis Jhovæ est, quæ peragenda Tibi?

Is vult ut populum pascas curesq;: popelli

Inde gerens curam dogmate pascis oves.

Jho

Ihova tui curam geret omnitempore, Teq̄  
Nectare & ambrosiâ pascet in axe Poli.

---

CHRISTOPHORVS HEINCCIVS.

(Pastor in Sara.)

HIC ORPHEUS CUNCTIS HORIS.

Saxa, feras, pisces citharæ dulcedine traxit

Orpheus, teu Vatū docta Reperta docent.

Orpheus es cunctis, Heincci, facundior horis,

Namq̄, Lyrâ verbi pectora dura trahis.

Hanc magis atq̄, magis pulsa: tua grata popello

Sint cunctis horis famina, grata DEO!

---

M. ELIAS DRESLERVS.

(Pastor in Stünz-Hayn emeritus.)

MILLE SERVIS ARDES.

Officium ut faceres Zelô, Dreslere, decente,  
Arsisti curis excubiisq̄, piis.

Ardes serus adhuc seræ per fata Senectæ.

Curis mille, & adhuc serius omne facis.

Mille Tibi eveniant pro tantis præmia curis:

Præmia concedat non-numeranda Polus!

FINIS.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

it  
ent.  
ris,  
bello  
!  
nte,  
:  
!

3  
**ULB Halle**  
003 558 371  


*von. dig.*

*WONA*







122,38. **PROTEUS** II, 561.  
*Clericò-Altenburgicus* :  
 HOC EST:  
*Nomina*  
**CONFRATRUM**  
 PASTORALIU  
 in Diocesi Altenburgensi,  
*Succinctis Anagrammatismis*  
*involuta* ;  
 'Æqvabili Epigrammatum  
*τρισίχων* dimensione  
*evoluta* ;  
 ad Eosdem, Synodum Anni  
 M DC XLVI. celebrantes, in  
*ευνοίας καὶ Φιλαδελφίας*  
*τεκμήριον*  
*devoluta*  
 à  
*M. Michaële Crellio, Eccle-*  
*siaſte Altenburgensi.*  
 Altenburgi,  
 M DC XLVI.  
 no. 56.

